

1278 April 22 Tecklenburg.

[2]

Die Äbtissin Oda von Gravenhorst bezeugt, daß der Ritter Alexander von Langen der Kirche zu Risenbeke für das ewige Licht eine Kornrente aus Gütern in Rodde geschenkt und Zehnten verkauft hat.

Nos Oda Dei gratia **abbatissa** totusque conventus in Gravenhorst omnibus presentia visuris notum **esse** volumus, quod Alexander de Langene miles de uxoris ac heredum suorum consensu ad honorem Dei et gloriose matris sue virginis Marie liberaliter et benigne contulit ecclesie in Risenbeke decem modios siliginis singulis **annis** perpetuo dandos ex bonis Rode ad amministrationem luminarium in **eadem** ecclesia perpetuo sine intermissione ardentium tam diurno tempore **quam** nocturno, tali tamen conditione interiecta, quod, si lumen indeficiens seu continuum non fuerit in predicta ecclesia Risenbeke per **negligentiam** (!) aut **malvolentiam** previsorum eiusdem ecclesie, dicti decem modii ad **manus** Alexandri militis predicti vel suorum heredum libere revertentur. Nos **vero** abbatissa et conventus una cum plebano in Risenbeke recognoscimus **publice** protestantes, quod in supradictis redditibus ad luminarium usum **assignatis** nec ratione iuris patronatus nobis competentis in ecclesia Risenbeke **nec** occasione alterius cause aliquid iuris habemus ad presens aut nobis **usurpabimus** in futuro. Predictus itaque Alexander miles una de uxoris ac **heredum** suorum consensu pro tribus marcis vendidit supradicte ecclesie in Risenbeke decimam duorum solidorum cum proprietate dandam ex domo **Hermannii** de over A, nichil iuris sibi aut suis heredibus reservans in **eadem** **decima**. Q(uam) quidem decimam idem Alexander et Amelgardis uxor sua et **heredes** sui coram nobili viro domino Ottone comite in Tekeneb(urg) et castellanis suis voce ac manu publice resignaverunt. Ut igitur tam donatio **quam** venditio predicti A[lexandri] militis rata maneat (et in)convulsa, presentem litteram sigillo nobilis viri domini Ottonis comitis in Tekeneburg et nostro fecimus communiri. Datum et actum Tekeneburg, anno Domini M^oCC^oLXX^o octavo, feria sexta in ebdomoda paschali.

Orig. 2 Siegel ab. **Rechts** durch Wäufesraß beschädigt, das Zerförte in () ergänzt.

II 1 6. 57